



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-//berstattensis De  
Chri//stianarum rerum memoria li-//bri decem**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1531**

**VD16 H 224**

De Basilide & Saturnino heremitar[um]. Cap. XVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29805**

## HAYMO DE CHRISTIA.

**H**ic deniq; Adrianus Iudæos secundo rebelles, ultima cæde domat, etiam eis ablata licentia introeundi Hierosolymam, quam ipse in optima murorum cæperat extructione, & Heliam vocari de suo nomine instituit. Hic Antinoo amasio suo annuos agones instituit celebrari, & cæpit appellare Antinoios, & ciuitatem condidit eius nominis Antinon, & templum ei dicauit, Sacerdotes & prophetas instituit. Interea Alexandro finito per martyrium, Sixt<sup>us</sup> subrogatur Romæ, Alexadriæ vero Primo defuncto. Iustus episcopus eligitur.

EPISCOPI Hierosolymæ ex  
Iudæis. Cap. XV.

**H**ierosolymæ vero primus ex gentibus creatur Marcus episcopus, cessantibus his qui fuerant ex Iudæis, qui sunt numero xv. id est Iacobus frater domini, Symon, Iustus, Zachæus, Thobias Benjamin, Iohannes, Mathias, Philippus, item Iustus, Leni, Effrem, Ioseph, Iudas.

DE BASILIDE ET SATVR  
nino hæresiarchis.  
Cap. XVI.

**P**er idem tempus humani generis hostis antiquus, quasi bino ore sibilat per Basilidem hæresiarcham, ortum Alexandria, & Saturninum genitum Antiochiæ, conturbans ecclesias. Hic Basilides comparat sibi discipulos, quos facit ad morem Pythagoricum quinquennio silere. Hos docet immolata absq; conscientie respectu degustare, & sine scrupulo & indifferenti debere in persecutiõibus fidẽ negare.